

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM
GOTTINGENSIS
AD A. cIcIccLXXXVII ET LXXXVIII.

VOLVMEN IX.



CVM FIGVRIS.

GOTTINGAE
APVD JOANN. CHRIST. DIETERICH.
cIcIccLXXXIX.

I N D E X
C O M M E N T A T I O N V M
VOLVMINIS NONI.

Praefatio C. G. Heynii

p. I - XVI

Commentationes physicae.

Jo. Frid. Blumenbach <i>de vi vitali sanguinis</i>	p. 3
Ge. Forster <i>Plantae Magellanicae</i>	13
Eiusd. <i>Plantae Atlanticae</i>	46
Jo. Frid. Gmelin <i>Spicilegia de zinci cum ferro, et Magnesiae nigrae cum cupro coniunctione</i>	75
Eiusd. <i>de metallo in spuma lupi latente</i>	90
Jo. Frid. Blumenbach <i>Specimen physiologiae comparatae inter animalia calidi sanguinis viuipara et ouipara</i>	108
Petri Camper <i>Epistola ad Io. Frid. Blumenbach de caudatis piparum gyrinis</i>	129
Henr. Aug. Wrisberg <i>de systemate vasorum absorbente morbos vivissim excitante et sanante</i>	136
Jo. Andr. Murray <i>de arboribus gummi guttae fundentibus</i>	169 - 192

Commentationes mathematicae.

Abr. Gotth. Kästner <i>de corporibus data lege irregularibus. Commentatio quarta de Polyedris</i>	3
Ge. Sim. Klügel <i>theoria noua motus machinarum vi aquae in rotam subtus incurrentis mouendarum</i>	26
Abr. Gotth. Kästner <i>de coni scaleni superficie et reti</i>	39 - 62

Classis philologico-historica.

Chr. G. Heyne <i>de Spartanorum rep. et institutis iudicium. Commentatio prior</i>	3
Eiusd. <i>Commentatio posterior</i>	25
Jo. Chph. Gatterer <i>de metempsychose immortalitatis animorum symbolo Aegyptio ad Herod. II, 122. 123.</i>	43
	Chph.

- Chph. Meiners *de humanis sacrificiis non voluntariis*, Commentatio
secunda 63
Lud. Timoth. Spittler *de origine et incrementis urbium Germaniae* 87
Th. Chr. Tychsen *de numis Cuficis*. Commentatio prior *de numis*
Chalifarum et principum Sammanidorum 108 - 132.
Elogium Alb. Lud. Frid. Meisteri auctore ABR. G. KÄSTNER I - VIII.

*Tabulae aeri incise.**Ad Comment. physic.*

Ge. Forster Plantae Magellanicae

Tab. I.	Mniarum	ad p. 19
II.	Ixia pumila	21
III.	Polycarpon Magellanicum	23
IV.	Plantago barbata	25
V.	Juncus grandiflorus	27
VI.	Melanthium pumilum	30
VII.	Wintera aromatica	34
VIII.	Viola Magellanica	41

Ad Jo. Fr. Blumenbach Specimen physiol. compar. Tab. I.

Ad Petri Camperi Epistolam Tab. I.

Ad Jo. Andr. Murray Tab. I. II.

Ad Comment. mathem.

Ad Abr. Gotth. Kästner de polyedris Tab. I.

Ad Ge. Sim. Klügel de rotis ab aqua subtus incurv. motis Tab. I.

Ad Abr. Gotth. Kästner de cono scaleno Tab. I.

*Ad Comment. phil. hist.*Ad Th. Chr. Tychsen *de numis Cuficis* Commentat. I. Tab. I, II.

JO. FRID. BLVMENBACHII
COMMENTATIO
DE
VI VITALI SANGVINIS
RECITATA
IN CONSESSV SOLLENNI
INTER SEMISAECVLARIA ACADEMIAE

D. XVIII SEPTEMBR. MDCCLXXXVII.

Semisaeculare quod laeti hisce diebus celebramus Georgiae Augustae festum, facile, ni grauiter fallor, excitare potuit recitationem aliquam eorum quibus alma haecce mater, per dena quae inde ab inauguratione sua transegit lustra, de scientiarum augmēto bene mereri studuit.

Quae cum et me non vna vice tenuerit cogitatio, non potuit fieri non, quin in eiusmodi recensu, eorum praesertim quae ad medicam disciplinam attinent, prae fulgeret maxime HALLERI viri summi memoria, qui vt in vniuersum multimodis de tanto tantarum scientiarum incremento immortaliter meruit, ita praesertim vel binis commentationibus, sub societatis huius regiae scientiarum (cuius ipse auctor et praeses extitit) cunabula, in eius confessu recitatis primus scholae Gottingensis nomen per vniuersam fere extra Germaniae limites Europam litteratam propalasse dicendus est.

Facile intelligitis, qua estis perspicacia AA de duabus longe lateque celebratissimis dissertationibus Hallerianis, primis commentario-

mentariorum societatis voluminibus contentis, et de vis vitalis curatione indagine, et irritabilitatis maxime a sensilitate differentia agentibus, sermonem esse; quae, quantis ab vna parte asseclarum suffragiis elatae, quantis ab altera dissentientium contradictionibus exceptae fuerint, quantamque in vniuersum promulgauerint Georgiae Augustae famam, neminem nostrum latere confido.

Ansam praebere opportunam haec cogitatio visa est, festa hodierna luce affinis argumenti succincta enucleatione, istius memoriam, quod cum ipsius academie nostrae celebritate adeo coniunctum esse vidimus, recolendi, paucisque ergo *de vi vitali sanguinis agendi.*

Quod quidem argumentum tantae auditorum coronae eo minus incongruum videtur, cum et si grauitate et dignitate conspicuum, tamen et parum medice doctis intelligibile sit, breuibusque expediri possit, tum vero et nouitatis speciem eatenus pree se ferat, quod et si non plane recens *), adhuc indictum ore alio, tamen nuper rimis

*) Quid quod non defuerunt quibus *sacri codicis*, et *PLINII maioris*, aliorumque classicorum veterum loca, quae vitam in sanguine aut sanguinis vitalitatem innuere videntur, huc referre placuit, et si haec loca nullatenus de genuina sanguinis vi vitali, sed de vulgatissimo et facile intelligibili phaenomeno agere, quod sanguine orbum animaliuere desinat, per se pateat.

Primi vero, quantum mihi innotuit, physiologice docti homines, qui sanguini eo de quo agimus sensu vim vitalem adstruere ausi sunt, nominandi veniunt *HARVAEVS* l. mox citando: et popularis eius *GLISSONIUS*, acerimi vir ingenii, *de ventriculo et intestinis* c. IX. §. I. p. m. 196. „aliae corporis partes praeter fibras. nempe parenchymata, ossa, medulla, adeps,

sanguis, succus nutritius, humores oculorum et consimiles, quae omnes irritabiles sunt, et adaugent constitutionem partium irritabilem. „

Et ab eadem sententia prope abfuisse virum summum B. S. *ALBINVM*, alias ab omni fere hypothetico ratiocinio alienissimum, codice praelectionum eius physiologicarum doceor, qui mihi ad manus est, vbi et sanguini et humoribus ex eo secretis vim vitalem inesse probabile ipsi videatur; imo vero et excrementis superesse fortasse mox post excretionem aliquid virium vitalium, dicit.

Tantum postrema haec excipit frater eius Fr. B. *ALBINVS de natura hominis* §. 38 et 51. pag. 5. sq. „vis actuosa, s. impetum faciens, s. irritabilitas, s. vitalis dista, natura sua non cognoscitur. — Non solum haec in

mis maxime temporibus *) valde exagitatum et iactatum et in vtramque partem controuersum extiterit.

Cuius miri dissensus ratio, ni grauiter fallor, exinde repetenda, quod litigantibus, vt saepe fit, de genuina subiecti, de quo dimicant, notione, non satis bene constiterit.

Quod quidem vitium, ne ipsi incurramus, statim in limine disquisitionis monere liceat, vitalium nomine eas nobis venire vires, quibus actiones corporis animalis viui, aut in nuper emortuo adhuc aliquamdiu superstites ita pendent, vt nullatenus easdem ad qualitates materiei mere physicas, et organico corpori cum aliis non viventibus communes, referre liceat: ita, vt exemplo ut ex oculi functione petito, vires quibus humores huius organi lucis radios ad axem refringere constat, ad physicas pertinent, ex densitate et figura humorum deriuandas: — ea vero vis, qua eiusdem oculi retina imaginem obiectam ita excipit, vt animae exin idea oriatur, ea inquam vitalis audit, cum non nisi in viuo animanti locum habere possit.

Et eiusmodi vires vitales solidis corporis nostri partibus ad vnam fere omnibus concessas esse, nec ipsum medicinae parentem diuum HIPPOCRATEM latuit: esse vero eas vires non vnius ordinis, sed aliam neruis et partibus neruofis, aliam musculari fibrae, aliam te-

A 3 lae

in firme, at in humore quoque, modo excrementitius non sit, latet.,,

Nude vero cuius corporis humani particulae fluidae animans principium vitale tribuit ANDR. WILSON. v. E. Enquiry into the moving powers employed in the circulation of the blood Lond. 1774. 8. pag. 47 et alias.

*) Jo. HVNTERI v. cl. pro adstruendo principio vitali sanguinis argumenta videbis in *medical and philosophical commentaries by a society of physicians in Edinburgh*. vol. II. P. I. ed. 2. pag. 198 sq.

refutatus in IAC. HENDY essay on glandular secretion; containing a critical examination into an opinion of Mr. J. HVNTER's that the blood is alive Lond. 1775. 8. pag. 59 sq

defendere vero istum studet S. LEVISON in *Versuch über das Blut* Berol. 1782. 8.

itidemque a partibus HVNTERI stantes vide HERM. DIED. REIMARVM diff. de opii in febribus vsu. LB. 1784. 8. pag. 5 sq.

et IAC. THIENSS. v. D. WYNPERSSE praefatione quam versioni suaee libri Hero

iae cellulosa, aliam aliis organis propriam esse *), nuperorum maxime industria et HALLERI quondam nostri in primis sagacitas evicit.

Iam ergo quaeritur an et eiusmodi vis vitalis, quam in *solido* viuo dominari videmus, etiam in *fluidis* corporis nostri, et quidem maxime in sanguine locum habeat, omnium corporis animalis humorum principe et quasi promo condo.

Cuius quidem quaestionis grauitas et dignitas cuique patet perpendenti, summum artis medicae fastigium in dirigendis, et siue excitandis siue moderandis viribus vitalibus consistere, iamque ergo de eo agi, an et idem moderamen, idem artis imperium in sanguinem qui perpetuo quamdiu viuimus in nobis circumagit fluento, cadere possit? anque dum vena secatur, genuina vitalitate praeditus effluat latex, nec ne?

At enim vero cum vires vitales non minus ac physicae *νάρεξ οχην* sic dictae, vnic ex effectu, s. vt in scholis vocant, a posteriori, dignoscantur, facile intelligitur et in ea de qua agimus disquisitione non de hypothetica vitalitatis humorum possibilitate, sed de obseruationibus et experimentis sermonem esse, quibus genuinam eius in sanguine existentiam adstruere annisi sunt physiologi.

Imo vero si ratiocinio et argumentis a priori quod dicunt, petitis vti licet, vel exinde putatitia vis vitalis sanguinis improbabilis videbitur, quod, si proximas huius purpurei laticis functiones spectamus, ne ullam quidem deprehendimus cui subeundae vitalitate ipsius sanguinis opus esset. Redeunt nempe istae functiones principes (praeter paucas singulares, quo v. c. erectiones pertinent, et quae ex affinitatis vt videtur legibus ad calorem animalem sustentandum confert) eo, vt alii humores, nutritii nempe, tum ceteri inquilini, denique excre-

*Herofoniani de sanguinis natura
praemisit. pag. XIII sq.*

*) Curatius et ex professo de va-

riis hisce vis vitalis ordinibus eorumque differentiis egi sect. IV *institution. physiolog.*

excrementitii ex eo *secernantur*; quod quidem secretionis negotium solidorum continentum vi vitali et in contentum sanguinem actione perfici posse, non est quod dubites, dummodo vires multifarias huic negotio famulantes et ex oeconomia corporis animalis viui luculenter patescentes, in censum referas.

Primariae vero ipsius sanguinis partes, quibus ad eas functiones rite subeundas conferre dici potest, ni fallor eo redeunt ut solida continentia, et omnium quidem maxime cor ipsum, stimulet et ad systolen *excitet*; qua tamen stimulandi vi corpora vitalitate orba, vitalibus egregie praestare, quantum video, ipsorum vitae sanguinis affeclarum sententia est.

Cui porro bono virium vitalium diuersi ordines in *solidis* corporis nostri partibus inseruant, attente rem perpendenti facile patet. Cellulosae sc. telae in vniuersum contractilitas ad pellenda fluida cellulis eius inhaerentia etc.; musculari fibrae irritabilitas ut longe plurimi motus, maxime voluntarii, muscularum ope peragi possint; neruosae medullae sensilitas ad stimulorum impressiones sensorio communicandas; vtero, iridi, aliisque id genus partibus vita propria ad peculiares functiones subeundas.

Sanguis vero qua talis nulla vi vitali egere videtur, et in vniuersum nullus humor animalis, nisi nisu formatiuo in solida vertendus: quod vnice de genitali latice deque plastica lympha valere infra dicetur.

Porro vires vitales *solidorum* ex morbis solidi viui, atonia v. c., torpore, aut mobilitate nimia, aliisque id genus anomaliis cognoscimus: quae vero pathemata ad putatitiae vis vitalis sanguinis errores referri possint, vix erit qui dicere audeat: cum dyscrasias aliaque id genus vitia humorum luculentissime ex longe aliis fontibus aetiologicalis, ab omni vitalitate longe remotissimis deriuanda esse, neminem fugiat.

Liceat denique addere vulgatissimam et maxime vniuersalem obseruationem; qua animantium sanguiferorum eas partes

tes similares, quas genuina vitalitate praeditas nouimus, solidas nempe, lente generari, lentius augeri, lentissime autem (et in calidis animantibus non nisi imperfete et in paucissimis saltem partibus constitutiuis) reproduci constat: cum e contrario fluida (si a genitali liquore discesseris, cui vero vitales utique inesse vires admodum verisimile est) et maxime quidem sanguis, non solum perpetuo renouetur, sed et ingentes et toties iteratae eius iacturae facilime reparentur; ita ut exempla extent hominum qui v. c. XIV annorum spatio septingentis venaesctionibus totidem sanguinis libras perdiderunt; aut VIII annorum decursu millies et quadringenties venam sibi secari passi sunt, aliis quotannis CL libras sanguinis eadem ratione sibi detrahi curavit, quid quod historiam relatam acceptimus virginis XXVIII annorum, quae per octennium eadem ratione sedecim mille libras sanguinis sui amisit. Verum et haemorhoidarios singulis annis ultra CD libras perdidisse, compertum est *).

Sed ad obsernata transimus quibus ad probandam sanguinis vitalitatem vtuntur physiologi:

Quae quidem praeter nonnulla male ad eam demonstrandam allata et nimis leuidensia, quam vt iis refutandis immorari operae pretium sit; maxime ad bina, primo intuitu satis grauia et oculos fere stringentia obseruata redeunt; quorum scil. alterum motum singularē sibique priuum in sanguine obseruabilem, alterum vascula organica ex ipso sanguinis coagulo enata spectat.

In vniuersum enim triplex saltem modus est, quo vires vitales se manifestant.

Sensu sc. quem excitant, qui quidem sensilitatis effectus est.

Tum

*) Cfr. cl. TISSOT epistolae medico-practicæ pag. 101 ed. Lausann. 1770.
BIANCHI hist. hepatic. T. I. p. 694.

PH. DE CAROLIS de variolis ad Swietenium pag. 66. et al.

Tum motu, cuius diuersa genera contractilitate telae celulosa, irritabilitate fibrae muscularis, et vita propria singularium quae modo diximus viscerum, vteri, iridis, demonstrantur.

Denique formatione organica, cui natus praest formatius.

Sensum qui vnam sanguini tribuere ausus fuerit, memini neminem. Reliquos vero quos diximus binos vis vitalis effectus cum sanguini tribuere studuerint physiologi, motum scilicet ipsi propriam et formationem vasculorum in eius coagulo, argumenta eorum proprius ponderare operae pretium erit.

Iam ergo agamus et vtrumque aequa lance ponderemus.

Atque ut a priore initium faciamus, celebre est assertum summi naturae mystae et ad obseruandum vere nati, immortalis Gv. HARVÆI, in egregio de generatione animalium opere *), quando cerebra viuorum dissectione se esse expertum inquit, quiescente iam cordis imo vero et auriculae dextrae, quae ultima superuiuere solet, pulsatione, in ipso sanguine vndulationem quandam et obscuram trepidationem siue palpitationem (extremum vitae indicium) reperiri.

Repetii experimentum non vna vice, maxime in canum, erinaceorum et cuniculorum viua sectione.

vsurpaui vtique aliquoties oculis, quem HARVAEVS innuit, sanguinis, in dissecto corde stagnantis, motum aliquem subobscurum, vndulatorium, qui per aliquot horae minuta prima ipsi cordis irritabilitati superuiuere videbatur.

Sed reuera videbatur saltem.

Curatius enim in paradoxon phaenomenon inquirens, obseruare mihi visus sum famosam hancce sanguinis vndulationem non nisi

*) Exerc. L (*de generationis ordine etc.*) pag. 151. ed. Londin. 1651. 4.
Comment. Phys. Tom. IX. B

nisi a subiectis ipsi carnibus, superficie scil. cordis intima, pendere, quam quidem interiorem cordis faciem omnium corporis animalis partium maxime et diutissime adhuc post mortem irritabilem esse, ipsa ea celebri dissertatione Halleriana cuius memini, euictum nouimus.

quae tum hariolabar saltem, mutato diuersimode experimento extra dubitationis aleam posita esse comperi.

paraui nempe ex ichthyocolla cocta similem sanguini quodad viscosum habitum liquorem, ast pellucidum, huncque dissecti et sanguine orbi attamen calentis adhuc cordis, ex viui cuniculi thorace euulsi, superficie intima infudi, facileque vidi pellucidum hunc, in sanguinis imitamentum praoperatum liquorem, eundem tamdiu spectandum exhibere motum tremulum Haruae anum, donec subiectae carnes cardiacae irritabilitate demum priuatae, oscillare desinerent.

Repetii idem experimentum in superficie concava sterni, viuocani resecti, eodem euentu, vt scil. toties oscillans tremeret ichthyocolla, quoties musculus triangularis sterni cui incumbebat, vi sua insita Halleriana excitatus, conuelleretur.

ita vt de principe quo sanguinis vitalitatem adstruere conati sunt experimento actum esse, merito concludere liceat.

Iam ergo et alterum argumentum propius consideremus, a vasculis organicis petitum, quae in ipsissimo sanguinis coagulo gigni asseruit acutissimus quidam aeui nostri physiologus Anglus.

Hic enim exinde maxime demonstrare nititur vitam sanguinis, quod vasculosus quandoque fiat, haud secus ac vasculorum ortum in *solido* viuo obseruare licet.

Phaenomenon ipsum hodieque ex notissimis est. *)

tamen

*) pluribus de eo égi in nuperis
de nisu formati o obseruationib. vol. VIIIvo *Commentationum soc. reg.*
scient.

tamen si rite perpenditur, non magis ad eam demonstrationem valere ac Haruaenum experimentum, facile intelligetur.

quae enim per neogenerationem ut nunc audit, nasci videmus vascula, non in genuino sanguine — purpureo isto et aequabili mixtura subacto latice — sed in coagulo eius, quando nunc seditione quadam elementa huius laticis separata sunt, formantur.

neque ad sanguinem, qua talem, sed ad plasticam eius lympham vnicē pertinent, quae nunc a reliquis quibus hactenus nupta erat elementis, secessit, et siue in thrombum, siue in pseudomembranam, siue in aliam id genus speciem abiit.

Inerat sane paulo antea *materies* huius thrombi huius pseudomembranae nunc vasculis diuitis, sanguineo fluento, sed *materies* tantum, hactenus iners, informis, adhuc ceteris purpurae serique elementis intermixta.

Eodem enim sensu etiam *materies* nervorum et muscularum, imo cartilaginum et ossium itidem cruento torrenti ante innatabat, quam a reliquis eius elementis secreta in solidi speciem abiret et vitalitatem nancisceretur.

Abuterer patientia vestra A. A. si et reliquis longe minoris ponderis argumentis a calore v. c. sanguinis *) aut ab aeuaterna et intemerata eius integritate desumtis, qua dum viuimus corruptioni et elementorum decompositioni resistit **), et quae sunt eiusmodi

B 2

alia

*) Qui quandam argumenta pro vitalitate sanguinis a calore eius sumebant, oblii erant integrarum regni animalis classium, genuino sanguine, ast frigido, praeditarum.

Sed in vniuersum hodieque eo argumento vix quisquam vtetur, postquam de caloris animalis caussa et ratione meliora docuit senior physica.

**) Incorruptam sanguinis in viuo et fano animanti integritatem nemo mirabitur, perenne eius fluentum et perpetuam eiusdem ope chylofi latice renouationem, rite perpendens. Nam et in animantibus hyberno tempore sopitis sanguis mouetur, etsi lente, imo vero argumentum ex hoc veterno depromtum eo minoris videtur

aila quibus ad demonstrandam vitalitatem sanguinis abusi sunt medici, siue enarrandis siue conuellendis, tempus terere auderem.

In vniuersum sane post omnia quae super hoc argumento siue meditando siue experiundo hactenus elicere licuit, nulli humorum nostri corporis genuina vis vitalis tribuenda videtur, si vnicet a genitali utriusque sexus latice discesseris, utpote cui iam ante quam uterino cauo exceptus et intime mixtus in foetus formationem abit, vitales inhaerere vires formativas, praeter alia paterni vultus in nepotes propagata similitudo, aliaque id genus phaenomena haud insitianda demonstrare videntur.

quae vero sanguini vulgo tributa sunt vitalitatis indicia, ad solidas corporis partes referenda videntur, siue in sanguinem ipsis contentum agentia, eundemque mouentia, siue ex ipso sanguine separata, et in solidi vasculosi speciem *nitus formativi* virtute efficta.

ita ut de sanguinis ipsius putatiua vita, si nempe ex iis modo penitus situr quibus hactenus eam demonstrare annisi sunt auctores, idem valeat quod de Didone extincta VIRGILIUS:


in ventos vita recessit!

tur ponderis, cum et virtus animalis, carnes edules etc. lacertis ineunte hyeme intrusae, post plures somni eorum hyberni menses incorruptae re-

pertae fuerint; teste ipso quem iam diximus v. cl. Jo. HVNTER in *observations on certain parts of the animal oeconomy.* pag. 155.

GEO.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QPCARD 201